

C. S. W.

88.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.


Nf. 117.

Pragmata.

- 1.) Disputatione Theologica de morte naturali. a. C. M. Pfaffio. Tubingae. 1722.
- 2.) — — — — De confirmatione Catechumenorum in ecclesiis August. Confess: additio: usitata. a. eod: ib. 1723.
- 3.) — — — — De coelo beatorum. a. eod: ib. 1722.
- 4.) — — — — De impersonalitate et perpetuitate humanae Christi naturae. a. eod: ib. 1722.
- 5.) — — — — De initiatione, expiatione, benedictione et confirmatione catechumenorum. a. eod: ib. 1722.
- 6.) — — — — De Eucharistia contra Rogerium. a. eod: ib. 1721.
- 7.) — — — — De Nativitate Iesou. a. eod: ib. 1722.
- 8.) — — — — De erroribus Pfaffii. a. C. Althaeo. 1722.]
- 9.) — — — — De recta Theologiae Typicæ conformatio: a. C. M. Pfaffio. Tub. 1723.
- 10.) — — — — De Chirographe Pauli in favorem Onesimi ad Philemonem. a. eod: Lipsiae. 1732.

307

42.



Q. D. B. V.

6.
2

DISSERTATIONEM HANC THEOLOGICAM
DE

CONFIRMATIONE CATECHUMENORUM

IN ECCLESIA AUGUSTANÆ
CONFESSONIS

usitata

ITEMQUE DE

CONFIRMATIONE ANGLICANA

P R A E S I D E

CHRISTOPH. MATTHÆO
PFAFFIO,

Doctore & Professore Theologo atque Cancellario
in Aulâ novâ

D E F E N D E N T

M. GEORG JSRAEL PRÆMER, *Thermiferinus.*
M. JOHAN. PHIL. HASENMAYER, *Heimsheimensis.*
M. JOHANNES ROMINGER, *Ebingensis.*

T U B I N G A
imprimebat JOSEPHUS SIGMUNDUS
A. M DCC XXIII.

Nov. 189.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

Ubi post absolutum hoc schediasma, quæ in eodem diximus, mente repetimus atque contemplationi nostræ de novo sistimus, hæc ἐμπλῆς loco addenda & monenda nobis visa fuere. Et p. quidam 4. sub finem primæ notæ hæc addi velimus: *Adde AMBROSIUM de bono mortis C. 2. P. 8. lineâ ultimâ post 1. Cor. XV. 20. adieci: s1. P. 13. l. 14. pro ad preces Ducis AREMBERGII pone: iussu Principis EUGENII.* Ita enim videre est ex literis ad Remondum datis Recueil P. 2. p. 155. Jam adde ad notam ultimam: *Ceterum LEIBNITIUS Gallicè pri-mum Monadologiam istam aliter licet inflexam, enarravit sub titulo: Principes de la nature & de la Grace fondez en raison, qua exhibet Europe savante A. 1718. mense Nov. art. 6. T. 7. P. 1. p. 101. sqq. P. 16. ad l. 24. ad vocem suscitâsse velim ponî hanc notam: Eß quidem Theologorum insignis numerus, qui existimant, Job. V. 25. de resurrectione spirituali agere. Et inter hos JO. quoque BRENTIUS noster eminet. Sed comma 28. de resurrectione corporali explicant contra Socinianos iidem. Vide CHRISTOPH. WOELFLINI Exercit. in Job. p. 156. 160. 161. Nec est, quod multum curemus ea, qua HERM. DEUSINGIUS pec. diff. in hunc locum scriptâ & Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Bremensi Clasf. I. Fasc. 6. num. 2. p. 804. sqq. ante aliquot annos inserta monuit, de duplice gentium vivificatione in hoc loco Johanna agi putans. Non vacare enim jam, in prolixam rerum explicationem heic descendere. P. 29. l. 7. lege CALVOERII. P. 32. l. 8. lege separationem. P. 43. in notâ tertiatâ nescio, quâ lapsus fuerit calamus noster, ut nomina confudermus. Itaque ergo pro RHENFERDIO lege VITRINGA. Sed hæc sufficient.*

DEUTSCHE

1. In der Epoche der Romantik und der Klassizismus war die
Bedeutung der alten griechischen und römischen Mythen und Legenden
für die Kirche und das christliche Gottesdienstleben zunehmend
bedeutender geworden. Diese Entwicklung führte zu einer neuen
Theologie, die die alten Götter als Heilige und Heilige als Götter
wiederherstellte. Diese Theologie wurde von den Kirchen
und Klöstern unterstützt und förderte die Entwicklung eines
neuen kulturellen und spirituellen Lebens. Die Kirchen und
Klöster waren die wichtigsten Zentren dieser Entwicklung.
Sie förderten die Erforschung der antiken Mythen und Legenden
und versuchten sie in die christliche Theologie einzuordnen.
Die Kirchen und Klöstern waren auch die wichtigsten Zentren
der Entwicklung des christlichen Kultes. Sie förderten die
Entwicklung des christlichen Kultes und trugen zur
Entwicklung des christlichen Glaubens und der christlichen
Ethik bei. Sie förderten die Entwicklung des christlichen
Glaubens und der christlichen Ethik und trugen zur
Entwicklung des christlichen Glaubens und der christlichen
Ethik bei.



PRAELOQUIUM.

Cogitaveramus quidem, *lector benevole*, tractationem illam synopticam de initiatione, expiatione, benedictione & confirmatione Catechumenorum ita instituere, ut à primis inde Ecclesiæ plantatæ temporibus initium sumendo juxta seculorum iremus ordinem & per antiquas istas Ecclesiæ citato gressu decurrentes denique in *confirmatione* istâ *Evangelicâ* pedem sisteremus, illiusque origines, indolem atque præstantiam methodumque illam asceticam, quâ ad præstantissimam catechumenorum excitationem & sanctificationem inflecti illa amat, curatius edissereremus atque enarraremus. Ast, ut instituti nostri rationes paulisper jam immutemus, & ordine retrogrado à dissertatione illâ postremâ, quam in prodromo sub finem anni

A

prioris

prioris edito promisimus, initium tractationis faciamus, eorum nos jubet studium atque curiositas, qui sine ambagibus mox ad rem ipsam pergere atque de confirmatione *Evangelicā* ante omnia informari cupiunt. Ita verò jam de eādem agemus, ut primo loco ista scripturæ sanctioris loca evolamus, queis confirmatio *Evangelica* innititur & confirmari amat, secundo loco eas ordinationes ecclesiasticas recenseamus, queis commendata illa & in Ecclesiis purioribus instituta est, tertio capite ea Theologorum præstantissimorum testimonia recenseamus, qui eandem suo prudentiore calculo approbârunt, quarto, qui à confirmatione Pontificiâ illa infinitis modis distet, demonstremus, denique verò etiam, qui à Ministris *Evangelii* illa rite inflectenda, quæ cautelæ hîc adhibendæ, quæ methodus hic ineunda, & qui vel maximè modo quodam practico atque ascetico res tractanda atque non animi catechumenorum saltem sed & tota plebs Ecclesiastica largo ædificationis præstantioris rore hîc perfundenda sit, & ipsi calamo ascetico edisseramus atque enarremus, totamque hanc dissertationem epimetro illo de confirmatione Ecclesiæ Anglicanæ, quod itidem in prodromo nostro promisimus, claudamus. Prolixus est, ut vides, *Lector,* scriben-

scribendi campus & tanta dicendorum seges, quâ
fanè calamus noster ferè obruitur. Conabimur
tamen, quantum licebit, in brevitatis nervum
quendam, quæ prolixissimè exponi & plenis buccis
manibusque dari possent, constringere. Unde &
veniam à lectoribus nostris petimus, si quædam,
quæ ab ipsis forsitan observata fuerint, (sunt au-
tem illa sine dubio quâm plurima,) & quæ ne-
glecta illi à nobis conspexerint, hîc sicco pede
præterierimus. Deum verò rogamus atque pre-
camur, ut institutum hoc nostrum suâ gratiâ & lu-
cis suæ præstantissimæ benigniore & largiore influ-
xu sanctificet huncque calatum nostrum ita fœ-
cundet, ut largos ædificationis rivos in animos &
corda lectorum nostrorum effundere valeat.

CAPUT PRIMUM,

*Quo e scriptura sanctioris loca evolvuntur, queis
confirmatio Evangelica innititur atque
confirmari amat.*

I.

A Veteri, uti arbitramur, Testamento initium rerum nobis
hîc capiendum est, utpote ex quo pater, jam olim benedi-
ctionem junioribus per preces manuumque impositionem da-
tam esse. Egregium nobis exemplum præbet Jacobus Patri-
archa, qui Josephi filiolis Ephraimo & Manassi ita benedixit,
manibus decussatis & in formam crucis non sine mysterio cru-

cem Christi adumbrante (a) flexis (b). Ita & Christus, Salvator optimus, benedixit infantibus, qui ad ipsum ferebantur, ut ex Evangelio liquet, additâ etiam manuum impositione (c). Erant illi infantes Judæi per circumcisionem seceder divino jam adscripti, queis gratia divina sic confirmabatur (d). Jam, tantis exemplis p̄æcuntibus, quidni & nobis liceat, quidni & nobis egregium hoc videatur, per manuum impositionem precesque adjectas Catechumenis sic benedicere eosque in gratiâ baptismali olim jam acceptâ confirmare, ritumque solennem hunc, qui absolute utique necessarius haud est, sed adificationem tamen excitationemque præstantissimam parere aptus, rebus adjicere? Certè & hæc Salvatoris, eidem negotio tum intenti haud infelix, haud incongrua imitatio est. Et enim & veteres hoc exemplo animati catechumenis & baptizatis adeoque & ante & post baptismum manus imposuere, ut suo

(a) Ita sanè ex Patribus multi. Unum allegemus Tertullianum de baptismno C. 8. Dehinc post baptismnum & unctionem manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum S. . . . Sed est hoc quoque de veteri sacramento, quo nepotes suos ex Joseph Efrem & Manassem Jacob capitibus impositis & intermutatis manus benedixerit, & quidem ita transversim obliquatis in se, ut Christum deformantes jam tunc portenderent benedictionem in Christum futuram. Ita & Augustinus, & Isidorus, & Damascenus, & Rupertus aliique, maximè interpres Pontifici, quos hic ridet ANDR. RIVETUS in Genesin, exerc. 174. T. I. Opp. £. 661. Notandum verò est, Tertullianum librum de baptismno ante lapsum scripsisse, et si & hic cespiter atque impositioni manuum, nimium quod est, in ipso hoc loco alibique tribuat, id quod & alii post ipsum Patres fecerit, uti olim enarrabimus.

(b) Gen. XLVIII. 14. sqq.

(c) Vide Matth. XIX. 13, 15. Marc. X. 13, 16.

(d) Existimavit JO. LIGHFOOTUS ad Matth. XIX. 13. hos non fuisse filios Judæorum infidelium, sed credentium. Et sanè patet, eos, qui infantes ad Christum duxere, saltem magni Propheta vel Doctoris sancti in honore ipsum habuisse.

suo loco memorabimus. Possemus h̄c, si vellemus, de benedictione infantum deque ritu impositionis manuum multiplici apud Judaeos & Christianos olim usitato prolixissimè agere, si angustia libelli academici hanc digressionem ferret. Sed cùm haud liceat nobis h̄c esse prolixioribus, allegamus infra Autores h̄c consulendos (e).

II.

At verò de confirmatione baptizatorum loca clarissima in Actis Apostolicis habentur (f). Etsi enim iste manuum impositiones cum precibus conjunctæ charisma extraordinarium & miraculosum Spiritus S. in baptizatos derivaverint, quale hodie non amplius obtinet, n̄il tamen est, quod impedit, quod minùs & nostri, obtentâ olim gratiâ baptismali, median-

A 3 tibus

(e) De impositione manuum varioque ejus usū egere PETRUS RAVANELLUS in Bibliothecâ sacrâ P. 2. f. 183. 184. MICHAEL WALTHERUS in centuriâ miscellancorum Theologicorum p. 430. lqq. ANDR. KESLERUS in Theologiâ Casuum conscientiæ p. 1. lqq. GIBS. VOETIUS in Politicâ Eccl. P. 1. L. 2. C. 8. p. 460. lqq. JO. MORINUS in commentariis de sacramento paenitentiarum & de sacris Ecclesiæ ordinationibus itemque de expiatione catechumenorum & sacramento confirmationis passim, JO. SELDENUS de Synedriis vet. Ebr. L. 2. C. 7. CAMP. VITRINGA de Synagoga vetere L. 3. P. 1. C. 15. GEBH. THEODORUS MEJERUS de tribus novellorum nascentiis Ecclesiæ Christianorum initiamentis, baptismo, Catechesi & manuum impositione §. 138. lqq. PHIL. JAC. HARTMANNUS de rebus gestis Christianorum sub Apostolis C. 17. p. 443. lqq. FRID. SPANHEMIUS, filius, in diatribâ Heidelbergensi de ritu impositionis manuum in Ecclesiâ vetere ac degenero ejus usū, quæ exstat in Operum T. 2. f. 871. lqq. JO. BRAUNIUS in selectis sacris L. 5. Orat. 5. de impositione manuum p. 746. lqq. aliisque innumeri, quos citare jam supersedemus. Addi poslunt, quæ de originibus juris ecclesiastici & nos diximus p. 26, 43.

(f) Act. VIII, 15. 17. XIX, 6.

tibus precibus adjunctaque manuum impositione benedictionem ecclesiasticam accipiant, quā charisma Spiritus S. ordinariū, quod jam, cūm baptizarentur, nasci sunt, in ipsis firmetur, stabiliatur, excitetur & augeatur. Certè ad analogiam confirmationis illius Apostolicæ ut & nostri catechumeni confirmantur, prorsus congruum est moribusque Apostolicis consentaneum, et si exinde nulla necessitas confirmationis illius solennis, quæ per impositionem manuum sit, exculpi posse, quippe quam nemo est, qui statuat, maximè, cūm & olim charismata Spiritus S. extraordinaria sine impositione manuum in fideles fuerint effusa (g).

III.

Præstantissimus denique, qui hanc in rem allegari possit, locus exstat in Epistolâ ad Hebræos, ubi capite sexto commate secundo ad prima Christianismi elementa refertur quoque *impositio manuum*. Haud dici potest, quām mirè hīc variant interpres. Sunt sanè, qui de ordinatione Ministrorum Ecclesiæ verba sumant ex nostris Theologi primi ordinis (h), sunt alii, qui de initiatione Catechumenorum ante baptismum (i), sunt rursus alii, qui de benedictione conjugum sacerdotali vel de confirmatione & restitutione lapsorum atque hæreticorum ad Ecclesiam olim regredientium atque poenitentium (k), sunt denique, qui de solâ illâ collatione charismatum miraculosorum

Aposto-

(g) Vide HARTMANNUM I. c. p. 444.

(h) e.g. CALOVIUS, SEB. SCHMIDT, alii plurimi. Adde JO. FECHTII exercit. de formâ catecheses Paulinæ §. 14. 15. p. 19. 20. & HENR. BEN. STARKII not. sel. in epist. ad Ebr. p. 40. 41. Ex Reformatis pertinet hūc maximè JAC. ALTINGIUS ad h. l.

(i) Ita SALMERO, JUSTINIANUS, alii. Eos verò prorsus non moramur, qui locum de confirmatione Pontificiâ ex Pontificiis expōnunt.

(k) Ita GROTIUS, ita HAMMONDIUS ad h. l.

Apostolicā, quæ per impositionem manuum fiebat, (l) ista capiant. Sunt verò & ex interpretibus præstantissimis, qui de confirmatione baptizatorum locum explicitent. Descendimus hanc in sententiam & nos, cùm origines Juris ecclesiastici olim trademus (m). Nec autoritate magnorum ex nostris Theologorum ista destituitur. Ex præcipuis sunt ÆG. HUNNIUS (n), FRID. BALDUINUS (o), JO. GERHARDUS (p), CASP. ER. BROCHMANNUS (q) CONR. HORNEJUS (r), NIC. HEMMINGIUS (s) GEBH. THEOD. MEJERUS (t), TROGILLIUS ARNKIEL (u), JO. REINHARDUS HEDINGERUS (x), ut commentatores Vinarienses taceamus, queis ex Reformatis JO. CALVINUM, FRANC. JUNIUM, JO. PISCATORREM aliasque, maximè & JO. MARCKIUM (y), ex Remonstrantibus PHIL. LIMBURGIUM (z) addere possumus. Nec refugiantur GROTIUS (a), HARTMANNUS (b), CLERICUS (c), BELLO-

(l) Ita HEIDEGGERIUS, ita BRAUNIUS uterque ad h. l. ille in analysi in ep. ad Hebr. p. 40. hic in Comm. in ep. ad Hebr. p. 318.

(m) Vide C. 2. art. 2. notam (e) p. 43.

(n) ad h. l. Operum T. 4. f. 895.

(o) ad h. l. in comm. in omnes epistolæ Pauli p. 1587.

(p) in comment. supra epist. ad Hebr. ad h. l. p. 119.

(q) in commentario posthumo in Ep. ad Hebr. p. 210. 211.

(r) in exposit. lit. in epist. ad Hebr. ad h. l. p. 97. 98. Ast hic charismata Spiritus S. extraordinaria cum ordinatiis conjungit.

(s) ad h. l.

(t) l. c. §. 141.

(u) in libro Germanico de confirmatione Catechum. C. 2. §. 3. p. 14. 15.

(x) ad h. l. p. 945.

(y) in Biblicis exercit. ad L selecta loca V. & N. T. P. 2. exerc. 46. §. 5. 6. p. 962. sqq.

(z) in comment. ad h. l. f. 597.

(a) ad h. l.

(b) l. c. p. 446.

(c) in notis Gallicis ad h. l. p. 280.

BELLOSOBRIUS & INFANTIUS (*d*), nisi quod omnes manus impositiones à Christianis olim factas hīc cumulative in digitari existimant. Nos, cūm ista *χειρῶν ἐπίθεσις* ad prima Christianismi elementa referatur, de confirmatione baptizatorum commodè credimus locum explicari posse. Cæteræ enim *χειροθεσίαι* ad elementa Christianismi haud spectant. Et cūm sine dubio preces super baptizatos olim fuerint fusæ ipsisque benedictio data, iis autem communiter manus fuerint impositæ, super quos preces fuerunt fusæ, nolim hīc ab iis divorvium facere, qui verba ista de confirmatione baptizatorum exponunt. Quæ sententia eò majorem veri similitudinem habet, quod Tertullianus jam in seculo secundo confirmationem baptizatorum non tanquam rem noviter introductam sed pri- dem jam obtinentem memorat (*e*).

IV.

Sed enim, qui, quid confirmatio Evangelica sit, noverit, præstantiam ipsius dignitatemque nullo negotio intelliget. Scilicet medulla illius cūm sit repetitio fœderis & sacramenti baptismalis solennis & publica, preces item publicæ benedictioque super confirmandum fusæ, cui ritus iste *χειροθεσίας* vetustissimus accedit, cūm & insignem hæc ipsa pleniorumque quandam impressionem stimulumque sanctiorem cūm iphis confir-

(*d*) in notis Gallicis ad h. l. p. 449. Cæterum novam proflus & ab hisce omnibus abludentem sententiam nuper defendit celeberr. Altorensum Theologus ZELTNERUS, qui in quæstione Theologicâ, cur articuli fidei fundamentales non sint in Script. S. pressius definiti, §. 18. p. 17. per impositionem manuum hīc significari putat illam, quæ facta fuit olim à sacrificantibus in capita hostiarum.

(*e*) Verba Tertulliani jam deditus. Sed quaris, lector, quî ergo fiat, ut ante Tertullianum nemo confirmationem memoreret alius istorum temporum scriptor. Respondeo, tantam esse monumentorum illius ævi penuriam, ut nihil ferè hanc in rem decidi in contrarium possit. Nulla hīc argumenti negativi vis est.

confirmandis tūm etiam toti Ecclesiae, quā præsente ista confirmatio publicè peragitur, addant, cūm denique preces totius Ecclesiae conjunctæ eò majus secum spirituale pondus vehant, prona hæc inde fluit conclusio, ritum istum confirmationis solennioris & ritualis (*f*) longè præstantissimum esse, &, licet nulla hīc mandati mediique sit necessitas, nulla institutionis divinæ quoad solennia ista expressa & determinata litera, nulla sacramenti notio, tamen ex libertate Christianâ, quæ ædificationem Ecclesiae pleniorē hīc absque dubio invenit & exosculatur, confirmationem hanc rectissimè introduci, imo & generali isti præcepto Apostolico, quod, ut omnia ~~ad~~ *ad* dñm fiant, jubet (*g*), longè convenientissimam esse, maximè, si ad methodum illam præstantiorem asceticam, quam postea enarrabimus, inflebat.

CAPUT SECUNDUM,

*Quo Ordinationes illæ ecclesiastica recensentur,
queis confirmatio Evangelica commendata
& injuncta est.*

I.

Prämissis jam iis, quæ ex sacrarum literarum penu in rem præsentem efferenda erant, ad Ordinationes Ecclesiasticas

B

mox

(*f*) Data operâ hīc terminum confirmationis solennioris ponimus. Quod enim confirmationem baptizatorum corumque, qui ad epulum sacrum admittuntur, doctrinalem attinet, ea proflus necessarii nec sanè nova apud nos est. Nemo enim admittendus est nisi ritè præparatus & in fide confirmatus, juxta Aug. Confess. artic. abus. 3. p. 24. Unde & professionem fidei mox publicè apud nos, mox privatum fecere haecenūs catechumeni coram Ministro Ecclesiae, qui suas preces benedictionemque admisicit. Accedit verò jam major saltem solennitas, quæ pleniū in oculos animosque incurrit.

(*g*) Vide 1. Cor. XIV. 12. 26. Adde TROG, ARNKIEL de confirm. Catech. C. VI, p. 49. lqq.

mox progredimur, quæ confirmationem illam Evangelicam solenniorem dudum in Ecclesiam puriorem invexere. Etenim adeò nova illa non est, ut potius ob antiquitatem suam, quam in Evangelicis quoque Ecclesiis obtinet, summum habeat pretium. Et si autem hanc operam dudum defuncti fuerint TROGILLUS ARNIEL, Theologus Holsatus (b), & JO. HERMANNUS AB ELSWICH, Theologus nuper Stadensis (i), licebit tamen, quæ illi dedere, in compendium hic confiare &, quæ omisere quoque illi, nostris observationibus supplere.

II.

Agmen ordinationum ecclesiasticarum, quæ confirmationem illam solenniorem injungunt; dicit ordinatio Ecclesiæ Pomeranicæ, quæ A. MDXXXIV. à JO. BUGENHAGIO, Pomerano fuit consecrata & in dialecto Pomeranicæ edita (k). Sequitur ordinatio ecclesiastica Saxonie superiori sive Misnica.

(b) in libello: *Christliche Confirmation derer Catechumenen Schleswig 1694. 4.*

(i) in commentatione de reliquiis Papatus Ecclesiæ Lutheranae temere affitatis p. 132. scqq.

(k) Prodiit illa Wittebergæ A. 1563. 4. sub titulo: *Pommersche Kerken-Ordeninge.* Est hæc editio plenior, ac prima illa fuerat. Sed enim nimis prolixa illa sunt, quæ de confirmatione hinc habentur, quām ut à nobis recenseri hinc possint. Unicum saltem locum dabitur ex Agendis num. 7. *Von der Confirmation, wo man de Kinder im Catechismo verbören unde insegnen schal, eer man se thom hochwerdigen Sacrament tholeit f. 116.* De Christliche confirmation wird in den Kerken geholden umme des Catechismi unde umme des Gebedes willen, up dat de löve jaeget in erem Christendom underrichtet, im Catechismo verbæret, unde nicht mit vare unde ergernisse ane verstand tho den hochwerdigen Sacramenten thogelaten werde, sünden wen se den Catechismum geleret hebbet, dat men aver se mit der ganzen Gemene bede, Gott aver se anrope mit upleggunge der Hende unde den Segen aver se sprecke, dardorch se also in erem Christen-

Misnica, quæ iustu HENRICI PII, Ducis Saxoniæ A. MDXXXIX.
cusa fuit (l). Succedit ordinatio Brandenburgica, à JOACHIMO II. Electore Brandenburgico A. MDXLII. data (m). Quartum obtineat locum ordinatio ecclesiastica Brunsicensis ab
ELISABETHA, ERICI Brunsicensis viduâ eodem anno edita (n). Sexta ordine procedat ordinatio ecclesiastica Hollsa-

B 2

tica

dome bestedigt werden, tuchewisse erer Dœpe entfangen, up dat se
sick erer Dœpe weten tho traſten tegen dem Dîvvel, unde sick erinne-
ren, dat se vor Gott in rechten Gloven, in Hiligkeit unde Gerechtig-
keit, de Gade gefellig is, leven schœlen. Præstantissimæ hic sunt pre-
ces, qua funduntur, sed quas hic dare non possumus. Vide libel-
lum ARNKIELII p. 49. 95. sqq. 160. 162. sqq. 211.

(l) Et hæc Wittebergæ prodiit A. 1539. 4. Præviâ autem cætchisa-
tione publicâ, præviis precibus imponuntur confirmando manus, ad-
dito epiphonemate : *Diemeil du den Catechismus gelernt und für
dieser Christlichen Gemeine öffentlich bekennnißt deines Glaubens ge-
than hast und zugesagt, dabey beständig zu verharren, und begehrst,
hieran auf die absolution und das Hochwürdige Abendmahl zu empfa-
hen, so verleyhe dir Gott dazu den Heil. Geiſt, der dich regiere
schütze und zum ewigen leben im rechten Glauben und Göttlichen
Gehorsam erhalte durch Christum, seinen Sohn, Amen. Der Segen
Gottes des Vaters und des Sohn und des Heil. Geiſtes komme auf dich
und bleibe über dir ewiglich, Amen.* Vide eundem p. 183. sqq. 160.

(m) Edita hæc est Berolini A. 1542. atque à MART. LUTHERO
fuit approbata. Hic manu stipulatâ promittunt confirmandi Ministro
Ecclesiæ constantiam & obedientiam fidei, quæ deinde post fusas
preces manus imponitur. Conferatur SECKENDORFIUS in Com-
ment. de Lutherismo L. III. f. 239. ARNKIEL l. c. p. 97. 98.
107. 108. 158. 160. 187. sqq. & SPENERUS in den Theologischen Be-
dencken P. IV. p. 259. & in den letzten Theologischen Bedencken
P. I. p. 501.

(n) Lucem vidit hæc Minda A. 1542. 8. Confer eundem SECKEN-
DORFIUM l. c. p. 520. 521. At verò & confirmationem præscripsi-
altera illa ordinatio Brunsicensis à Duce JULIO edita A. 1569. quæ
Wolffenbüttelæ in quarto prodiit. Hic *χειροθεσία libertati Paſto-
rum relinquitur.* Videatur ARNKIEL p. 100. 160. 168. sqq.

tica ejusdem anni (o). Septimam memoramus ordinationem Colonensem HERMANNI Archiepiscopi, quæ anno sequente prodiit (p). Octava, quæ confirmationis solennioris ritum injun-

(o) Cusa hæc est Magdeburgi A. 1542. 4. sub titulo : *Christliche kerken-ordeninge, de in den Fürstendönen Schleswig-Holstein &c. schall geholden werden.* Autor fuit JO. BUGENHAGIUS. Eadem verò jam latine A. 1537. jussu Christiani III. Regis Danicæ, approbante LUTHERO edita & Ecclesiis Holstatiæ Danicæ præscripta fuerat atque etiam A. 1553. in Danicam linguam versi atque Ecclesiis Danicis & Norwégicis injuncta fuit. Hic verò habetur itidem confirmationis solennis, præviis catechisatione & precibus itemque promissione confirmandorum ore manuque facienda, quam sequitur impositione manuum Sacerdotialium cum hisce precibus : *Herr Jesu Christe, der du gesprochen hast, so ihr, die ihr arg seyd, kennet euren kindern gute gaben geben, wie vielmehr wird mein Vater den Heil. Geiß geben denen, die ihn darum bitten, Erbarm dich über diese junge Kinderlein, und regiere ihre Herzen und Gemüther allezeit durch deinen Heil. Geiß, und mehre in ihnen den wahren Glauben, rechte anruffung und furcht Gottes samt andern Christlichen Tugenden, und mache aus ihnen rechtschaffene Gliedmassen deiner Heil. Gemeine, und erhalte sie zu der ewigen Seligkeit, daß sie dich mit ewiger danksgang ehren und preisen mögen. Amen.* Notandum hic, confirmationem in Ecclesiis Ducalibus Holstatiis in desuetudinem postea venisse, priore verò seculo denuò introductam fuisse, curante maxime TROGILLO ARNKIELI, Preposito & Pastore Apenradensi, qui ut contradicentibus, satis quod est, faceret, libellum istum roties jam à nobis laudatum edidit. Hic verò & recenset ille controversias de confirmatione, quas cum Collegis suis reciprocavit, *an confirmatio in sacris literis & primâ antiquitate sit fundata, an sub incunabula reformationis illa in Ecclesiâ priore jam fuerit in uso, an confirmatio privata sit insufficiens, an soli Pastoribus confirmare liceat?* Scilicet has controversias, ubi affirmativam per omnia tenuit ille, in prodromo nostro dare omisimus. Vide libellum ARNKIELII p. 97. 115. sqq. 199. sqq. 240. sqq. 244. sqq. & SPENERI Theologische Bedencken P. IV. p. 255. sqq.

(p) Hic velimus, ut evolvas, lector, prodromum nostrum p. 19. sqq.

injungit, est Wittebergensis illa, quæ A. MDXLV. lucem
vidit (q). Cæteras mox addemus.

B 3

III. Ean-

ubi verò p. 21. notā (y) error typographicus corrigendus est & po-
nendus numerus 1543. Mirum est oppido, ordinatiōnēm ecclesiastici-
cam Colonensem in catalogo illo ordinatiōnum Ecclesiasticarum hanc
inveniri, quem industriae Viri pl. Reverendi CHRISTIANI JULII
BOCKELMANNI, Archidiaconi & Confessorialis Cellensis debere se
proficitur celeberrimi Viri JO. ANDR. SCHMIDIUS in diff. de
agendis sive ordinatiōibus Ecclesiasticis p. 41. sqq. & JUSTUS
HENNINGUS BOEHMERUS, Jctus Halensis præstantissimus in
Jure eccl. Protest. L. I. tit. 2. p. 156. sqq. ubi catalogus iste exhibe-
tur, memoraturque, laudatissimum BOCKELMANNIUM maximam
istarum ordinatiōnum partem jam possidere. Recensuit autem jara
ordinatiōnēm Colonensem SECKENDORFIUS in Comment. de
Lutherismo L. III. f. 443. sqq. Hic egregia proflus est confirma-
tionis formula, in alias quoque ordinatiōnes Ecclesiasticas transfusa,
sed nimis sanè prolixa. Non possumus verò hic loca quādam ex eā-
dem extracta chartæ huic inscribere, ne & nobis brevitatem festani-
bus & multitudine dicendorum obrutis prolixitas obrepat. Addatur
ARNKIEL p. 99. 108.

(q) Hæc nuper demūn prodiit ex Archivo Gothano, curante Viro di-
ligentissime E. S. CYPRIANO in den nützlichen urkunden zur Er-
läuterung der ersten Reformation-Geschichte P. 2. p. 410. sqq. sub
titulo: *Wittenbergische Reformation*. Subscriptere LUTHERUS,
BUGENHAGIUS, CRUCIGER, MAJOR, MELANCHTHON.
De confirmatione ibi hæc leguntur p. 420. Dieses were HOCH-
NOETHIG, in allen Kirchen den Catechismus uſ bestimte tage zu
halten, die Jugend in allen nothigen Artikeln Christlicher Lehre zu
unterweisen, dazu mecht die Confirmation angericht werden, nem-
lich, so ein kind zu seinen mündigen Jahren kommen, öffentlich sein
bekentniſ zu hören und zu fragen, ob es bey dieser einzigen Gottli-
chen lehre und Kirche bleiben wollt, und nach der Bekentniſ und zu-
sage mit uslegung der Hende en gebet thuen. Dieses wvere eine nüt-
zliche ceremonie, nicht allein zum schein sondern vielmehr zur er-
haltung rechter Läyr und reines verstands und zu guter zucht dien-
lich. Addc CYPRIANUM l.c., p. 406. 407. SECKENDOR-

III.

Eandem confirmationem Catechumenorum solenniorum tenent ordinationes Ecclesiasticae Megapolitana (r), Waldeccensis (s), Mansfeldensis (t), Austriaca (u), Hassia-

FIUM l. c. f. 521. sqq. ARNKIELIUM p. 51. 91. VON ELSWICH de reliquiis Papatus Ecclesiae Lutheranae temere affictis p. 133. & prodromus nostrum p. 19. 20. 45. itemque den Evangelischen unterrichte von der confirmation im vorbericht p. 11. 16. Paucis notamus, originem Germanicam esse, quam dedit CYPRIANUS, versionem vero latinam à PEZELIO & SECKENDORFIO editam esse MELANCHTHONIS.

(r) Prodit ista Wittebergæ A. 1552. 4. Vide p. 167. Non tamen obtinet hic *zeugothetia* sed professio falem fidei & benedictio solennis in catechisatione. Videatur ARNKIEL p. 49. 99.

(s) Edita haec est Marpurgi A. 1557. ubi vide C. 14. Post catechisationem & professionem fidei publicam à Catechumenis factam impunitur illis manus, hâc editâ benedictionis formulâ : *Nimm hin den Heil. Geist, Schutz und Schirm vor allem argen, Stärcke und hülfe zu allem Guten ; von der gnädigen Hand Gottes des Vaters, Gottes des Sohnes und Gottes des Heil. Geistes. Amen.* Addatur ARNKIEL p. 102. sqq. 160. 192. sqq.

(t) C. 16. Observationem de agendis Ecclesiasticis Mansfeldensibus n. 165. Miscellaneis Lipsiensibus T. VIII. p. 35. seqq. inseruit JO. ERDMANNUS BIECKIUS.

(u) Hæc prodiit Steinæ in Austriae A. 1571. fol. sub titulo : *Christliche Kirchen-Agenda, wie die von den zuvveyen Standen der Herrn und Ritterschafft im Erzherzogthumb Oesterreich unter der Enns gebraucht wîrdt.* Historiam ordinationis hujus condidit Vir clariss. OTTO FRID. SCHUZIUS de vitâ Jo. Chytræ, qui prima illius stamina delineaverat, L. 2. ubi & p. 127. 127. recentet controversiam CHYTRÆO motam ob confirmationem, quam Ecclesiae Stiriacæ haud recepero. Adde eundem p. 287. itemque JO. DIECMANNI literas ad ARNKIELIUM atque hunc ipsum de confirmatione p. 238. 239. Scilicet Ecclesiae Stiriacæ existimaverant, ejusmodi confirmatione

Hassiacæ (x), Lauenburgica (y), Nassovica (z), alia, quas nunc recensere haud possumus (a).

IV.

Jam ipsarum quoque Ecclesiârum illarum nostrarum, quæ confirmationem istam solenniorem tenent, numerum ut ini- remus,

nem impositionemque manuum introduci velle, quæ superstitionis quid oleret & tanquam organum sacramentaliter spectaretur, quo conferretur Spiritus S. Respondet hic CHYTRÆUS in epistolâ ad Ministros Ecclesiârum Austriae, ubi ita post recensitam confirmationis formulam scribit: *Hæc precatione ad impositionem manuum aliigari donationem Spiritus S. vel ex ritu ab hominibus excogitato efficax signum gratiæ & salutis eterna seu sacramentum constitui, ego sanè intelligere nequo & quæ sequuntur. Addit mox: Nec propter impositionem manuum sed propter divinam promissionem: quantò magis Pater vester coelestis dabit Spiritum S. potenterbus, certò statuere jubentur pueri & omnes à Deo petentes, se in gratiâ Dei esse & à Spiritu S. regi & divinâ manu protegi & gubernari.* Vide epistolas Chytræi p. 971. 972. Cæterum illa confirmationis formula, quæ in Agenda sibi Austriae habetur, satis prolixa est. Adducitur hic commandus à Sponsore suo ad Pastorem, qui manus imponit & benedictionem in genua procumbenti largitur. Vide f. 64.

(x) Lucem hæc vidit Marpurgi A. 1574. 4. atque eadem est cum Darmstadiensi, Darmstadii A. 1662. editâ. Hic ter in anno actus confirmationis celebrandus injungitur cum impositione manuum & formulâ illâ, quæ eadem cum Waldeccensi est. Videatur & ARNKIEL p. 100. sqq. 156. 160. 161. 172. sqq. 211.

(y) Prodiit hæc ordinatio Lubeca A. 1585. 4. & eadem serè est cum Holsticâ, quam supra memoravimus. Videatur ARNKIEL p. 46. 49. 51. 102. 159. 160. 180. sqq.

(z) Cusa est Francforti A. 1618. 4. Cum Darmstadiensi ordinatione ritus & formula confirat.

(a) Scilicet reliquæ ordinationes ecclesiasticæ vel cum recensitis modò conspirant, vel nostras in manus haud pervenere, qui in angulo hoc Tubingensi vivimus, ubi luculentarum Bibliothecarum, quæs alia loca abundant, haud magna seges conspicitur.

remus, ordo posceret. Ast sequemur hic potius ductum Scriptorum, sub initium hujus capitatis laudatorum, quam propriae notitiae divitias, quae nullæ hic sunt. Ita vero refert ARNKIEL (b), confirmationem receptam esse in Ecclesiis Saxonie superioris, Gothanis (c), Thuringicis, Vogtlandicis, Coburgicis, Franconicis, Westphalicis, Norimbergicis, Francofurtensis (d), Ravensbergicis, Bilefeldicis, Palatinis, Bremensibus (e), Danicis & Suecicis. Num certam ubique rerum notitiam habuerit Vir diligentissimus, inquire nobis haud vacat. De confirmationis formulâ Mühlhusinâ & ante aliquot annos item agitatum fuisse novimus (f). Ita & Ecclesiam Spirensen nuper confirmationem celebrare coepisse ajunt. Hoc ipso verò tempore ritus hic solennis in Ecclesiis Wirtembergicas introducitur (g).

CAPUT

(b) p. 114. 115.

(c) Vide ordinat. Eccl. Goth. n. 3. p. 11. sqq.

(d) Formulam confirmationis, qua in ordinatione Ecclesiarum Francofurtanarum ad Viadrum A. 1677. editâ exstat, exhibet ARNKIEL C. 22. p. 197. sqq. Francofurti ad Mœnum confirmatio privata saltem recepta est, in pagis tamen adjacentibus publica obtinet. Vide SPENERI Theol. Bedenken P. IV. p. 259.

(e) Videatur VON ELSWICH loco supra citato.

(f) Confer Unschuldige Nachrichten 1719. p. 175.

(g) Vide hanc in rem den Evangelischen unterricht von der Confirmation der Kinder samt dem Formular und kurzen examine. Stutgard. 1723. 12. Hic post examen catecheticum & preces repetitionemque fœderis baptismalis manus imponitur confirmando cum hac benedictione: *Der himmlische Vater gebe dir um Jesu Christi willen den uehrten H. Geist zur starkung deines Glaubens, zur Kraft in der Gottseeligkeit, zur Gedult im Leyden und zur seeligen Hoffnung des ewigen Lebens. Amen.* Mirum autem est, quantoperè formulæ confirmatoriaæ ubique varient. Hic sane preces, ibi benedictio votumque super confirmandos funditur. Est & ubi hac formula obtinet: *Es segne euch Gott der Vater, der euch erschaffen hat, es segne euch Gott der Sohn, der euch erlæset*

CAPUT TERTIUM,

Quo testimonia Theologorum nostrorum allegantur, confirmationem commendantia.

I.

NON est verò, quod, quæ in prodromo (b) diximus, jam hic repetamus. Agmen ibi produximus Theologorum præstantissimorum, qui confirmationem illam solenniorem, ab omni superstitionis fæcē longè remotissimam maximo in pretio habuere & commendavere. Primas tenet LUTHERUS ipse cum MELANCHTHONE (i) & Theologis Wittebergensibus, qui sanè posteriores & postea in lite illâ interimisticâ nimium ferè confirmationi Pontificiæ faverunt (k). Sequantur CHEMNITIUS, qui instar omnium hic esse potest, (l) QUISTORPIUS, TARNOVIUS, G. CALIXTUS, DANNHAWERUS, GROSSGEBAUERUS, HILDEBRANDUS, SPENERUS, ARNKIEL, ARNOLDUS, MAJUS (m), HEINECCIUS, CALVOERIUS, queis & BRUNNEMANNUM,

C STRY-

hat, es segne euch Gott der Heil. Geist, der euch geheiligt hat, der Herr segne euch aus Zion mit allerley geistlichem Seegen. Amen. Alibi benedictionis formula communis ex Num. VI. 24. sqq. pronunciatur. Videatur ARNKIEL p. 160. 161.

(b) p. 45. sqq.

(i) Vide & eundem in locis Theol. de Sacramentis p. 327. atque in Confess. Saxon. tit. de Confirmatione.

(k) Vide J. H. VON ELSWICH l. c. p. 133. 134. ubi & ait, se nullum dubitare, quin confirmatio per omnes Ecclesiæ Lutheranas fuisset recepta, modò libellus interim lucem hand adspexisset.

(l) Hujus sententiam totus approbat SPANHEMIUS Operum T. 2. f. 878.

(m) In tribus homiliis de confirmatione habitis, quas in prodromo p. 46. allegavimus.

STRYCKIUMque ex Jctis adjecimus. Ex Reformatis PET.
MARTYREM (n), JO. PISCATOREM (o), PHIL. BU-
CHIUM (p), FRID. SPANHEMIUM F. (q) & HERM.
WITSIUM (r) hic addimus.

I. Sunt

(n) in loc. com. L. 3. C. 7. p. 602.

(o) ad Hebr. VI. 2. quem locum idem cum CALVINO de confir-
matione catechumenorum exponit.

(p) in diff. Theol. de cerem. Eccl. p. 122.

(q) l. c.

(r) in exercit. 3. ad Symb. Apost. §. 40. p. 42. 43. ubi, cum memorasset,
confirmationem & in Ecclesiâ Christianâ veteri obtinuisse & apud Bohem-
os fratres in usu esse & in Ecclesiâ quoque Anglicanâ obtinere,
hæc addit verba: *Optandum fore, idem nostris quoque in Ecclesiis
in usu esse, vel saltem, ut ij, qui ad sacram admittuntur Syna-
xini, publicè etiam, inspestante & audiente totâ Ecclesiâ, profite-
rentur Dominum, quod qui vel coram Synedrio vel Pastore pri-
vatim facere renunt, nescio quid cauſſicantes, eos moni-
tos volo, etiam atque etiam cogitent, quid Dominus de iis pro-
nunciet, quos sui ac sermonum suorum puduerit.* De confirmatione
verò Fratrum Bohemorum conferit LASITIUS de moribus
& institutis Fratrum Bohemorum C. 12. §. 28. 29. & Ratio disciplinæ
ordinisque Ecclesiastici in unitate Fratrum Bohemorum, qua A. 1609.
confecta & in Synodo Generali Zerawicci in Moraviâ A. 1616. revisa,
A. 1632. typis excusa & denique à celeberrimo Jenensi Theologo
JO. FRANC. BUDDEO Halæ A. 1702. edita mirisque modis com-
mendata fuit. Hic C. 3. n. 3. p. 34. Iqq. enarratur forma novitios
recipiendi planè prætantissima, quam hic adponimus: *Juniores
autem religionis capita domi à parentibus & susceptoribus vel à
præceptoribus in schola edocti pastorum cura traduntur publice
in Ecclesia ante S. cena usum [usitatissime sub tempus visitationis
a senioribus ipsis] hoc ritu. 1. Praleguntur verba Christi: Venite
ad me omnes &c. Matth: XI. 28. cum subiuncta brevissima exegesi.
2. Pueri & puella ad id destinati & aliquoties prius a pastore exa-
minati in medio Ecclesiæ collocantur ordine. 3. Tum interrogan-
tur, velintne fædus in baptismo cum Deo iniitum renovare Dent.*

II.

Sunt vero jam & alii nobis nominandi, quorum nomina
curæ posteriores memoriæ suggerere. Primus esto DAVID
CHYTRÆUS (s). Sequatur TIL. HESHUSIUS (t), ÆG.
HUNNIUS (u), POLYC. LYSERUS (x), FR. BALDUI-
NUS (y), JACOBVS HEILBRUNNERUS (z),
CUNR. DIETERICUS (a), LEONH. HUTTERUS (b),
C 2 JVSTVS

XXIX. 18. &c. Ios. XXIV. 22. Isa. XLIV. 5. 4. Annuentibus fœ-
deris capita explicantur ad formam ab Apostolo prescriptam Tit. II.
11. 12. 13. jubenturque illi aperte coram Ecclesia abrenuntiare satanæ,
mundo, carni &c. 5. Reposcitur ab eis fidei professio: illi igitur
symbolum Apostolicum clara voce omnes simul recitant. 6. Tum
genibus flexis, ministro præante, DEUM orant, ut delicia juven-
tutis condonet. & se ad omne beneplacitum voluntatis sue Spiritu
Sancto suo corroboret: quod mox & totus populus, pro iisdem de-
precans, facit. 7. A precibus nunciatur novellis illis ut & toti Ec-
clesie absolutio jusque filiorum DEI in participanda mensa Do-
mini. 8. Additur tandem & ritus Apostolicus manuum impositio-
nis. Marc. X. 16. Hebr. VI. 2. Act. IIX. 16. 17. cum invocatione ad-
huc super illos nominis divini, ad roborandam cœlestis gratia spem.
Adde & notam p. 89. 90. ubi hæc confirmatio contra Flacium Illyri-
cum defenditur.

(s) in Epistolis Hanoviæ A. 1614. 8. editis p. 970. 971.

(t) in exam. Theol. loco 18. p. 396.

(u) de Sacram. C. 5. p. 74. & ad Hebr. VI. 2. T. 1. Op. f. 1002. &
T. 5. f. 895.

(x) Harm. Evang. L. 4. cap. 130. & in Catechismo Lutheri illustrato de
baptismo p. 133. lqq.

(y) ad Hebr. VI. 2.

(z) Vide prodromum nostrum p. 27. notâ [o]

(a) in analysi Evang. Dom. XII. Trin. p. 437. & in instit. Catech. de
Sacramentis in genere quæst. ult. p. 646.

(b) in loc. Theol. artic. 17. C. 4. de confirm. p. 126,

JVSTUS GESENIUS (c), JOH. GERHARDUS (d),
 NICOL. HEMMINGILIS (e), JULIUS SCHMIDT (f),
 VAL. ALBERTI (g), JOSUA SCHWARZIUS (h), PHIL. HENR.
 FRIDLIEBIUS (i). Reliquos mox nominabimus.

III.

Addere adhuc convenit ARNOLDUM MENGERINGL.
 UM (k), CHRIST. KORTHOLTUM (l), AUG. PFEIFFERUM (m),
 THOMAM HONSTEDIUM (n), JUSTUM CHRIST. SCHOME-
 RUM (o), JOH. GUIL. BAJERUM (p), GODOFR. WEGNE-
 RUM (q), JO. REINH. HEDINGERUM (r), HECT. GOD.
 MA-

- (c) in der Vorrede der Catechismus-Fragen num. 12. in den Epistel-Predigten Dom. Quinquag. p. 387. 389.
- (d) ad Hebr. VI. 2. & in loc. Theol. de circumc. & agno Pasch. C. 4. n. 63. seqq. Conf. Cath. L. 2. P. 2. art. 13. p. 845. sqq. & disp. 15. contra Bellarm. n. 19. sqq.
- (e) in syntagma, instit. Christ. art. 22. n. 6. sqq. p. 751. 752. & de Antichristo p. 663.
- (f) Hic Mindensis olim Superintendens A. 1661. Hannoveræ singularem libellum sub titulo : *Evangelische Firmung* edidit.
- (g) in diss. de Catechesi G. 2. §. 87. p. 34. 35. ubi sententiam CHEMNITII de confirmatione Evangelicâ approbat.
- (h) in literis MSS. apud ARNKIEL. p. 23.
- (i) in med. Theol. de Sacram. qu. 25. p. 871.
- (k) in scrutinio conscientia catech. C. 16. qu. 21. p. 1317; sq. & C. 19. p. 1470. 1471.
- (l) in literis apud ARNKIEL. n. 1. & p. 105.
- (m) in literis ad Honstedium l. c. n. 5.
- (n) in literis apud ARNK. p. 137.
- (o) in literis apud eundem n. 4. & p. 107.
- (p) in literis apud eundem n. 7. & p. 109.
- (q) in diss. de confirmatione Catechumenorum Regiomonti A. 1696. editâ, cuius primum caput de confirmationis antiquitate & cum verbo divino conformatio, secundum de confirmationis deformatione, tertium de confirmationis reformatione & utili conservatione agit.
- (r) ad Hebr. VI, 2.

MASIUM (s), JOH. DIECMANNUM (t). Agmen claudat, qui egregiè nuper de confirmatione Evangelicâ disseruit, venerandus Collega noster GOD. HOFFMANNUS (u). Ast verò phalangem Theologorum sic in sceam produximus.

IV.

Cæterum ex iis, quæ hactenus diximus, ad oculum sapientibus patet, confirmationem dudum in Ecclesiis purioribus receptam, imò ab incunabulis inde reformationis in usu fuisse atque maximorum Theologorum autoritate niti. Quicunque itaque vel novitatis maculam illi adsperserit vel Pontificiæ labis quid eam secum vehere existimaverit, næ is rerum oppidò ignarus &, ὅτα μὲν ἐκ τούτου, βλασφημεῖ nobis videntur. Nihilominus haud abs re fore existimamus, si distinctionem confirmationis Pontificiæ ab Evangelicâ paucissimis ostenderimus.

CAPUT QUARTUM,

Quo distinctio Confirmationis Evangelicæ à Pontificiâ paucissimis ostenditur.

I.

Nihil profectò facilius est, nihil, quod minorem poscat operam, quam differentiam illam confirmationis Pontificiæ & Evangelicæ demonstrare, nisi quis existimet, longioris operæ rem esse, ut ostendas, differre lucem à tenebris. Agedum, paucissimis, [operam enim luderemus, si prolixitatem

C 3

(s) in literis apud ARNK. n. 2. p. 106. 139.

(t) in literis apud eundem n. 6. & p. 108. 109.

(u) in nuperâ diff. de Sacramentis in genere & confirmatione Evangelicorum p. 14. sqq.

tatem hīc sedaremur,] paucissimis , inquam , dicamus id ,
quod demonstrandum est.

II.

Pontificii confirmationem suam Sacramentum esse dicunt , nos negamus , qui duo saltem Novi Testamenti Sacra-
menta absolutè & strictissimè sic dicta agnoscimus . Nec sanè nos
impositioni manuum vim spiritualem tribuimus , utpote quæ
cærimonìa saltem Ecclesiastica nobis est , non organum gra-
tiae ordinarium à Christo Apostolisve institutum . Nec adeat
hīc elementum quoddam externum , cui gratia Divina sit an-
nexa . Tacemus , Pontificios confirmandis ne manum quidem
imponere , quam nos imponimus .

III.

Nec unctionem quoque Pontificiam nos adhibemus , nec ,
quicquid illi adjacet , cærimoniarum . Etsi enim jam seculo II.
in Ecclesiâ Africanâ illa adhibita fuerit , tamen , cùm ejusmodi
unctionis materialis nullum exstet in sacris Testamenti literis
exemplum , quâ collata dona spiritualia eaque ordinaria fue-
rint (x) , cùm & unctioni illi veteri postea affusa sit mira su-
persticio , quâ exorcisatum unguentum vi spirituali imbui cre-
ditur , rectissimè sanè nos facimus , qui superstitionem illam
procul à nobis abesse jubemus .

IV.

Cùm verò unctionem nullam nos adhibeamus , nec verba
illa usurpare possumus , quæ confirmatio Pontificia fundit :

Signo

(x) Scilicet , quemadmodum *χρῆμα* illud , quo unctus fuit Christus ,
spirituale est Luc . IV . 18. Act . IV . 27, X . 38. Hebr . I . 9. ita &
unguentum illud , quo unguntur fideles , non materiale sed spirituale
est , collatio nempe Spiritus S . novæque illius virtutis spiritualis , quâ
iste nos imbuīt i. Cor . I . 21, i. Joh . II . 20. 27. Etenim ab hoc chris-
mate spirituali & Christi Mæssia & nostrum Christianorum nomen
derivatur .

Signo te signo crucis & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Pronunciantur hæc sine ullâ institutione divinâ, sine ullâ promissione divinâ huic christmati annexâ, adeoque in vanum & ex superstitionis manifesto præjudicio pronunciantur.

V.

Ita nec dicimus nos, gratiam confirmationis esse majorē gratiā baptismi majusque præ baptismo fidei contra dialolum robur confirmando conferre, ut Pontificii statuunt. Etenim nostra confirmatio totum robur suum ex gratiā baptismali nanciscitur & repetit.

VI.

Porrò nos nulli statuimus, per confirmationem imprimi characterem indelebilem eumque physicum, qui & faciat, ut confirmatio, quemadmodum baptismus, repeti neciat. Somnia ista sunt, quæ mentem nostram nunquam intrârunt.

VII.

Nec existimamus quoque nos, solos Episcopos confirmare posse, qui omnibus Evangelii Ministeris, observato ramen ordine, hoc, quicquid est, ministerii permittimus. Partet itaque jam, quis sit apud nos confirmationis Minister.

VIII.

Denique nos tam ridiculi haud sumus, ut confirmandos nostros alapis cædamus. Mirum est, cærimoniam tam ineptam unquam à sapientibus adoptari potuisse. Id verò longè magis ridiculum est, quando inflictio alape impositiōni manus æquipollere affirmatur, qui summus ratiocinii male compotiti defectus est.

IX.

IX.

Sed enim nec medullam confirmationis nōrunt Romanenses, quæ est ex parte quidem confirmandorum, qui jam ad sacram Cœnam properant, professio fidei publica & repetitio fœderis baptismalis cum promissione constantiæ in fide perpetuæ conjuncta & vita sanctioris præstantia initia, ex parte confirmantium catechesis, preces super confirmandos fusæ & benedictio in eodem pronunciata, spiritualisque ille ad Christianismi ἀσκησιν præstantiorem excitatio (y). Hæc Romanenses latent, imò Tridentinis anathema mereri visa sunt.

X.

Ast non opus est, hæc ut diducamus latius. Certè enim Romanensium placita dudum à nostris ita hic profligata fuere, ut inanem operam agat, qui è chartâ in papyrum dudum jam scripta velit transferre. Nec facile inter nostros fuerit, qui proletarium ejusmodi studium à nobis jam postulaverit. Conferantur scriptores quicunque è nostris polemici, qui hic contra Romanenses egere &, quos allegare dum contendimus jam, tedium nobis calamum chartæ imponentibus obrepit. Unum tamen negligere non possumus, qui in prodromo nostro haud negligendus nobis fuerat. Est iste JO. ULRICVS PREGIZERVS, Cancellarius olim Tubingensis præstantissimus, qui respondente GEORGIO HENRICO KELLERO, Theologo itidem postea Tubingensi & Pro-Cancellario in disputatione XI. quā Confessionem Wirtembergicam explicavit, articulum XI. de confirmatione contra Pontificios enarravit anno prioris seculi LI (z). Sed ita quidem levi brachio, uti oportebat, caput hoc jam absolvimus.

(y) Habes hic, lector, definitionem confirmationis, quam alibi dare noluius, ne bis idem sine necessitate diceremus. Nihil in hæc definitione deest, quam *χειροθετίας* mentio. Sed & determinantur hic, quinam sint confirmandi.

(z) Est & ex Reformati, quem adjungere hic lubet, qui & egregie

CAPUT QUINTUM,

Quo methodus illa practica atque ascetica enarratur, quā confirmatio ista Catechumenorum ritē inflecti atque sanctificari debet.

I.

Am, fracto cortice, ad ipsum nucleus & tractationis nostrae medullam opus est, ut progrederetur. Minimum illud est, quod dici à nobis potest ad commendandum externum illum confirmationis ritum. Quicquid scribimus, pro cærimoniam illâ exteriore non scribimus, quæ signum saltum est, quo præstantius quid, de quo jam sermo nobis erit, indigitatur. Non tamen male agitur cum religione Christianâ, ut externis ritibus & formulis, ut externo, licet solenni, apparatu absolvatur & ut ipsi quoque hypocritæ gloriam istam suam facere possint. Hinc altius opus est, ut ascendant huic cogitata nostra ac remoto velo penetrent ad id, quod præstantissimum, quod quām maximè observatu & dignum & necessarium est. Scilicet, quemadmodum hæc præcipua quædam ars est & γνῶσις quædam præcipua, quā Ministri Ecclesiæ fulgent, ubi animas methodo quædam spirituali ita dirigunt, ut totum cultum externum, cui inhiant, cui operam navant, [jam verò & hoc necessarium esse, quis est, qui dubitet?] ad cultūs illius inter-

D

ni,

BELLARMINUM hîc profligavit JO. DALLÆUS. Vide prodromum nostrum p. 34. Sed accedant ex nostris quām maximè MART. CHEMNITIUS in exam. Conc. Trid. P. 2. L. 3. f. 34r. sqq. & summe Rev. D.D. HOFFMANNUS in nuperâ de sacramentis in genere dissertatione p. 6. sqq.

ni, quo Deum veneramur, & quo omnia nostra cogitata, omnia desideria nostra sanctificamus, ardorem promovendum atque ad culturam præstantissimam cordium adhibeant, ita & hic sese res habet, ita & hic quoque ritus ad ædificationem, excitationem, sanctificationem & culturam cordium inflectendus est. Agedum, lector, &, quid boni, quid egregii hic dici possit, & ipse meditare atque sic in campum translationis asceticum nobiscum descendere.

II.

Nemo verò, id quod primum est, quod observamus, ad confirmationem aptus est, nisi, in quo vita spiritualis floret. Miserrimum id est atque longè indignissimum, ubi nudo opere operato contentus est Ecclesiæ Minister, & tūm quidem mox in sinu gaudet egregièque se rem eisip̄ omnem existimat, ubi cum successu operam dedit, ut catechumeni responsiones illas catecheticas ex memoriā promptè recitat̄ nōrint, ubi & ipse nudis formulis prælegendis externoque saltem ritui peragendo vocem suam manumque affundit. Absit, absit, ut Minister Ecclesiæ, qui præstantius utique à Deo munus accepit, operis saltem operati continuator & promotor sit, licet magna eorum pars sit, qui ita despiciant. Id agendum, in id viribus omnibus spiritualibus, quas colligere possumus, incumbendum, in id omnes vitæ spiritualis nostræ nostraræque pietatis nervi intendendi, ut regnum Dei in animis hominum erigamus, ut fugatâ illâ spirituali morte, quæ homines Deo privat & in horrendum illud exitii æterni barathrum præcipitat, spiritualem ipsis vitam infundamus, ut corda illorum Deo Spirituque sancto repleamus & sic divinâ donatos luce divinâque vitâ in cursu Christianismi ascetico dirigamus & monitis nostris & precibus & exemplo ad altiores semper in Christianismo illo interiore progressus evemamus atque in gratiâ, quam



quam acceperē, modo illo ascetico confirmemus & stabiliā-
mus. Hęc genuina illa & sanctior confirmatio est, quā ad-
versus omnes mundi hujus, qui pompis suis semper nobis im-
ponere gestit, adversus omnes voluptatum nostrarum, ad-
versus omnes Satanę tentationes, adversus porrò calamitatum
quarumvis, irmō & mortis ipsius injurias atque terrores in pu-
gnā istā nostrā spirituali, ne deficiant manus nostra, ne lasse-
tur pes ad beatam illam vitam gradiens, munimur, quā su-
scitatur fidei igniculus, ut in flammatum erumpat, quā alitur
egregia illa, quā imbuimur & gaudemus, vita xternæ spes,
quā magna fiducia spiritualis & insignis spiritualisque & divi-
na fortitudo nobis infunditur, quā & omnem torporem spi-
ritualem somnumque omnem ex oculis nostris abstergit, &
tām egregium nobis ardorem inspirat, ut in stadio nostro
spirituali promē curramus, ut brachia nostra spiritualia ad
brabeum illud cœleste arripiendum jam ē longinquo adhuc
extendamus, ut lucemur prorsus ad intrandum in angustam
portam, ut in omnibus malis, quā nos obruunt, supervin-
camus propter eum, qui nos adamat, Jesum Christum, cuius
& exemplo excitamur, ut spiritualem magnumque impetum
in hostes illos nostros faciamus, ut regno cœlorum vim infe-
ramus illudque ad nos raptum magnā cum manuum nostrarum
spiritualium virtute & constantiā firmiter teneamus, ut & spi-
rituali indui patientiā omnes istos, quos calamitates quævis,
quos mundus, quos Satanas, quos ipsa mors nobis infligit,
iclus cum gaudio animoque prorsus imperterritio sustineamus.
Hęc, inquam, est confirmatio illa spiritualis, omnis confir-
mationis externæ, quā sanè sine illā mera vappa & mera um-
bra & merus ludus est, sanctior medulla. Hanc indigant,
hanc commendant, hanc postulant, hanc urgent Viri sancti,
Evolve, si placet, loca sequentia. Luc. XXII. 32. Act. XIV.
22. XV. 32. 41. XVIII. 23. Rom. I. II. XVI. 25. I. Cor. I. 8.

D 2

2. Cor.

2. Cor. I. 21. 22. Col. II. 7. I. Theſſ. III. 2. 3. 13. 2. Theſſ. II.
17. III. 3. Jac. V. 8. Hebr. XIII. 9. I. Pet. V. 10. 2. Pet. I. 12.
III. 17. Apoc. III. 2. Adde Jef. XL. 29. ſqq. & Hebr. XII.
12. ſqq.

III.

Sunt autem variæ jam confirmationis illius ascetica & spiritualis species. Est confirmatio, quâ eriguntur stantes, est alia, quâ eriguntur, qui variis dubiis acti vel amore mundi illecti in apostasiam à fide vel lapsum ex vitâ spirituali proni sunt, est & alia, quæ torporem spiritualem nobis subinde subnascentem ex animis nostris excutit, est iterum alia, quæ contra calamitates & contra mortem nos munit fidemque & constantiam nostram roborat, de quibus omnibus agere jam atque media illa spiritualia, queis hic opus est, enarrare possemus, si eousque instituti nostri iret ratio. Sed non est, quod in amplitudinem illam argumentorum excurramus. De solâ catechumenorum & juniorum ad sacrum epulum adspirantium confirmatione nobis in rerum præsentia agendum est, idque ea brevitate, quæ saltem dignitati rei, quam tractamus, quam commendamus, nihil detrahatur.

IV.

Haud dici verò satis potest exprimere, quâm egregia ista sit vocatio, quâm pulchra Sparta, quâ ad animos juniorum cœlesti lumine imbuendos, dirigidos & sanctificandos vocamus. Insigne prorsus hoc est Ministri Ecclesiae munus, quod omni studio & maximo, quo potest, opere ut exorneret, dignitas rei poscit. O quanta quæſio hæc est coram Domino Salvatore nostro gloria tenellos animos à primis mox unguiculis ad Deum ducere iisque venerationem, amorem, cultum, timorem Numinis inspirare atque ea ipsis semina pietatis infundere, quæ mentem eorum & cor cum Domino mox uniant

uniant atque nauseam mundi & voluptatum mundanarum ipsas inspirent! Ista sanè laus divina, ista virtus, quæ ex ore infantum & tenellorum proficitur Ps. VIII. 3. Domino non per placere non potest. Et talium profectò esse regnum Dei ipse dudum professus est JESUS Marc. X. 14. Saltē de methodo, quam hīc incundam habeamus, practicā jam nobis quæstio est. Velim autem, ut ante omnia à scandalis mundi, quorum tantus est in animos tenellos influxus, præserventur illi, velim, ut exemplis præstantissimis ad pietatem excitentur, eorum maxime, quorum reverentiā ipsos duci oportet, velim, ut pro ipsorum captu & variis illius gradibus mox incautur cum ipsis colloquia spiritualia, ut præstantia, ut sanctitas, ut bonitas, ut justitia, ut potentia, ut omniscientia, ut omnipræsentia, ut beatitudo Numinis ipsis mox inculcetur, ut virtutum quarumvis Christianatum elegantia & pulchritudo & pretium & merces præstantissima, ut vitiorum turpitudine summaque ex illis manantia damna ipsis ad vivum repræsententur, ut idea futuræ beatitudinis & felicitatis Christianorum ipsis magnâ cum dictiōnis emphasi infundatur promissionesque excellentissimæ, quas pietas secum fert, ipsis proponantur, è contrario verò damnationis futuræ, quaē impios quosvis manet, horrenda miseria ob oculos ipsis sistantur, dicaturque, ipsis, si salvi, si beati, si felicitatis istius compotes esse velint, mox commercium quoddam spirituale cum Dominō JESU, qui salutem istam dispenset, incundum esse, ipsisque eō contendendum, huic ut placeant, quod nonnisi per obsequium exactissimum fieri possit, hunc ante omnia amandum, hunc colendum, huic obediendum esse, ad hunc preces fundendas, ab hoc petenda omnia, quæ desideremus, ipsum nos ad Patrem deducturum, ipsum nos virtute sanguinis sui à peccatis & aeternā morte liberaturum, ipsum nos ad felicitatem illam sempiternam esse promoturum, hunc, qui pro nobis &

passus fuerit & resurrexerit, & nobis olim beatam resurrectionem largiturum atque, ubi ad judicium venturus sit, quo vivos & mortuos sit judicaturus, damnaturum quidem impios, sed salvaturum illos, qui pie, qui justè, qui castè, qui sanctè coram ipso in hoc mundo ambulaverint, nihil esse, quod majus nobis existim afferat quam peccatum, quod cane pejus & angue vitandum sit, nihil verò majorem nobis gloriam, maiorem salutem, majora præmia conciliare posse ac virtutum studium & sanctitatis, quæ prorsus nobis familiaris esse debeat. Hæc omnia, lector, statim ab initio inspiranda sunt tenellis animis, eâ populari ποίησια, eâ dictionis gravioris facilitate, eâ spirituali eloquentia, eâ verborum suavitate, eo sermonis ardore, eâ prudentiâ, quæ in ipsa mentium tenellarum viscera sese insinuet eaque miris modis capiat. Sic verò, ubi lux ista animos juniorum irradiat, ubi idea illæ altius ipsis & continuo opere imprimuntur, ubi exempla eorum, qui ipsis sic informant, eos ædificant, ubi non patimur, ut mundum ipsiusque delicias & vanitates gustent, non potest non pectus ipsorum sanctis motibus imbui atque ipsorum desideria versus cælum verti. Nec est, quod ajas, difficultia hæc esse. Qui enim & cum tenellis junioribusque de aliis rebus facile juxta ipsorum captum disseris atque nullo negotio, ut in commercium amplius & confabulationem quandam tecum hic descendant, efficis, & in negotio spirituali idem sanè, si ardorem, si prudentiam, si suavitatem rebus adhibeas & charismate isto sanctiore gaudeas, efficere utique potes. Nec dissuaserim sanè, ut pro genio tenellorum & memoria ipsorum præstantissima quævis & formulas precum & dicta sanctiora imprimas, modò ne oneretur illa tædiu que & nausea & fuga rerum sacrarum ne occupet animos, probè cavendum est. Et licet subinde negotium mox haud successerit, licet difficultates plurimæ tibi hic obvient, licet temperamentorum dura subinde

inde & malè sita indeoles te fatiget, insistendum tamen & magnâ patientiâ, magna prudentiâ, multis ad Dominum precibus fuis res agenda novumque semper periculum, novi siue spirituales impetus in animos faciendi, quoad usque licuerit. Benedictionem industria huic spirituali tuae profecto non denegabit Dominus, certè successus in his vel illis sequetur præstantissimus & votis tuis congruus. Ita verò vita illa spirituialis & sanctior infundetur juniorum animis, ita imago Jesu Christi cordibus ipsorum inscribetur & in illis formabitur, ita mens ipsorum dirigetur ad Dominum, ita cœlestia in ipsis exsibuntur desideria, ita, te præunte, hæc enim præstantissima catecheseos pars est, sensim sensimque manu tua ducentur ad preces quoque mentales, ad preces spontaneas ex propriis cordium suorum motibus ad Dominum fundendas & desideria sua spiritualia Ipsi explicanda, qualia in rebus mundanis utique sine ductore cum promere possint, quidni & in spiritualibus id facere possint, maxime si exercitium accedat frequentius, quo animos corundem exornas facilitatemque illis infundis. Tu verò & ipse sine precibus & benedictione sic nunquam eos dimittes.

V.

Ubi verò dein creverit ætas, ubi majora sumserit incrementa ingenium, & ista exercitia catechetica altius ut ascendat, opus est. Major deinde infundenda rerum cœlestium γνῶσις, ad lectionem librorum sanctorum adhibendi illi, cantorum præstantissimorum monitorumque spiritualium notitia illis imprimenda, ante omnia verò cor ipsorum pectusque magis semper magisque exornandum & ideæ illæ atque desideria spiritualia, ut majus nascantur incrementum, conandum est. Dicendum, omnia cogitata nostra, omnia verba, omnes actiones meditatione Dei, precibus ad Deum fundendis,

CON-

continuâ vigilantiâ & perpetuo cum Deo commercio esse
 sanctificandas, carni obluctandum semper, vitandum mundum,
 deserenda peccata quævis, quæ utpote certissimam secum mortem ferant, Deum esse Salvatoremque optimum, cui
 thronus, cui regimen in corde nostro concedendum sit, totum
 ipsi dandum cor, ipsi, non nobis, vivendum esse, ipsius sa-
 lutem, nobis quam meruerit, jugiter apprehendendam esse,
 deploranda mox esse peccata, quæ nobis obrepant & cottidiè
 rincipescendum esse progressusque continuos in sanctificatione
 & virtù spirituali esse faciendo, idque tenendum, neminem
 beatum, neminem felicem esse, nisi Christianum, qui, licet &
 in hoc mundo sèpè miser sit, è beator tamen sit, quòd excel-
 lentissimæ gloriæ pondus ipsius calamitates sequatur. Non pos-
 sumus, lector, rem jam ob instituti brevitatem enarrare pro-
 lixi. Id unum adjicimus, junioribus id solicè quoque in-
 culcandum esse, Christianismum non in externis pompis & cæ-
 rimoniis confundere, nec operibus externis ecclesiasticis absolu-
 vi, sed in corde radices suas agere debere, ornatum Christianorum
 esse internum, regnum Dei intus in Christianis esse,
 magno porrò ardore illud quærendum esse & rapiendum ad se-
 sc, nihil Deo odiosum magis esse quàm hypocrisie, nihil mi-
 serius quàm vanam de conversione persuasionem, Christianis
 mundum simpliciter esse abnegandum, Deo sinceritatem cor-
 dis & humilitatem & obsequium cœcum placere & quæ ejus-
 modi sunt. Sed opus est, ut cohibeamus calamus, qui ni-
 mis currit & prolixus est. Quàm verò optandum est, ut ejus-
 modi spiritu agantur omnes, queis informatio juventutis,
 queis educatio illius, queis cura scholarum est concredita, ubi
 insignis utique hic defectus est, quod nonnisi opus operatum
 subinde inculcatur junioribus, quòd memoria saltem ipsorum
 exornatur & imbuitur, quòd theoria saltem de rebus sacris
 eaque maximam partem emortua & gracilis ipsis infunditur,
 quòd

quod ipsi, qui docent, vita & ardore spirituali carent, quod scandalis mundi & exemplis pravis corruptiuntur ut plurimum animi, quod falsa methodo, quae nauseam discentibus creat, quae molesta nimis est oneraque humeris eorundem injicit, quae vix sustinere possunt, & ubi haud prudens est se veritatis & indulgentiae atque benignitatis temperamentum, opus hoc male agitur, quod torpor quidam docentium intrat animos, oneri hoc sibi esse existimantium, quicquid hic agunt, quod magna est eorum raritas, qui exemplo suo alios excitare, qui παρησταντι spiritualem, qui prudentiam rebus affundere norunt.

VI.

Ex iis, quae diximus, facile patet, quoniam Catechumenorum animi ad confirmationem, de qua agimus, preparandi sint. Scilicet non imbuenda saltem, uti jam posuimus, hic memoria est, sed luce divina & sanctiore illuminandus intellectus & cor maximè ad Deum vertendum sanctificandumque est. Accedere debet plenior de rebus divinis, de articulis fidei, de regno Dei solidiorque & ascetica informatio cuius beneficio in scholam Spiritus S. Doctoris interni, deducantur catechumeni, ut ibi in intimis cordium suorum receptaculis Jesum docentem querant & audiant, ut gratiam ipsius gustent, ut Spiritus S. spirituali unctione, quae omnia docet, perfruantur, ut a tanto Doctore discant ipsi, quid agere habeant, quid omittere, ut ab ipso viam salutis edoceantur. Ab hoc præstantissimo Magistro opus est ut ante omnia confirmetur, si confirmatio externa ipsis prodeesse velit. Quam vero egregium hoc est, quam pulchrum, quam suave, quam jucundum, quam beatum, si tales animæ, queis ista gloria jam competit, deducantur dein ad ritum confirmationis solennem atque ubi confirmatio externa confirmationi internæ & sanctiori sic super-

E

struitur,

fruitur, ubi sancto cum tremore & gaudio acceditur ad tantum opus, ubi cor & lingua catechumenorum ebulliunt ad præstantissimam fidei professionem faciendam, ubi spontaneas easque præstantissimas preces sine difficultate effundunt pectora amore dulcissimi JESU delibuta, ubi ardor spiritualis mentes animat, ubi magnâ cum animi in Deo jam siti promptudine, magnâ cum resolutione spirituali abrenunciatur Satanæ & mundo & omnibus illius pompis, ubi fœdus illud sanctissimum, quod in baptismo pepigimus, non sine sanctiore peccoris affectu repetitur, ubi amplissima Domino promissio de servando deposito, de obsequio fidei perpetuo & de constantiâ spirituali usque ad mortem protendâ fit! Sic verò non succedere non potest largior divina benedictio, ubi Sacerdote manus imponente & precante, Spiritus S. ipse roborat, firmat, fundat, stabilit, confortat corda & suavissimo & luculento planè gratiæ suæ motu illa tangit & ungit & obsignat & tota, quanta quanta sunt, luce & gratiâ suâ plenissimè perfundit & irradiat & ad feliciter perficiendum fidei agonem miris modis sic excitat & impellit, atque ad epulum sanctius plenioraque Dei fruitionem mirificè sic preparat & sanctificat.

VII.

Restat, ut de Ministris confirmantibus pauca, sed necessaria adspergamus. *Vestrum est, O MEI, ritum hunc confirmationis solennem nuperrimè in Ecclesiæ nostras invenimus omnibus modis exosculari.* Facile autem jam pro eâ, quâ imbutos vos esse jubet Dominus, spirituali sapientiâ capitis, ceremoniam hanc à vobis sanctiore isto ministerio & asceticâ illâ methodo sanctificandam esse, cuius rationes modo edisceruimus. *Abstî, abstî per omnem modum, ut istâ formularum prælectione nudâ ritusque nudâ administratione existimetis absolvî opus hoc adificande Ecclesiæ tantoperè accommodum, si recte, si sapienter, si piè, si asceticè inflata.*

flectatur. Mementote, precor, non litera sed Spiritus vos Ministros esse, queis id ante omnia agendum sit, ut Catechumenos vestros divinam imbutos luce divinaque & sanctiore vita, interna illa, mactos sistatis benedicendos Domino, ut imaginem IESU in tenellis ipsis animis efformetis, ut tanquam caudas & sanctas sponsas ipsos ad Salvatorem adducatis, ut sanctificationis prestantissima ardorem ipsis infundatis, ut ad sanctissimam cum Deo communionem ipsis viam monstratis, ut virtutis studium sumum ipsis jugiter commendetis, ut Evangelicam methodo, non legali, qua ad externa saltem respicit, sed ea, qua cor corrigit & ornat, pectora ipsis informetis, dirigatis & preparatis. O vero beatos vos & longè felicissimos, major enim gloria & beatitudo non datur, si & ipsi Spiritu illo sanctiore repleti ex sanctiore pectorum vestrorum fundo verba vita ad sanctificandos Catechumenorum vestrorum animos effundatis, si spirituali quâdam rapaciori & cælesti eloquentia in ipsis et totius Ecclesie, que vos sic perorantes audit & exsculatur, animos ingrediamini, si tum in junioribus tum in adultis ardorem istum spiritualem, qui confirmationis spiritualis medulla est illiusque prora & puppis, accendatis, si precibus ad Dominum coram catechumenis & totâ plebe ecclesiastica fusi sanctum quoddam gaudium, sanctum timorem ipsis infundatis sanctasque lachrymas ex gaudio spirituali manantes exprimatis animis huic negotio intentis. Ipsi vero jam, ita precor repetoque, & vos ipsis ad tantum opus ritè & magna quidem cum pectoris vestri sanctificatione preparate & accingite. Rogate Dominum, ut largam fidei & charismatum hic vobis necessariorum, maximè ardoris & eloquentiae spiritualis & spiritus precum mensuram vobis largiatur. Tundite celum, ut prolixos edificationis & benedictionis cœlestis rivos in Catechumenos vestros depluat linguamque vestram & manus, quas imponitis, sanctificet mirificè & gratiâ spirituali omnigenâ facundet. Obtestamen vestros, ut sacramentum, quo denū se obstringunt, intemeratum

tum servent seque inculpatos olim sstant in die Jesu Christi. Plenam deinde benedictionem divinam in capita Catechumenorum vestrorum effundite iisque, queis potestis, viribus spiritualibus, quas in unum hic colligere licet, sanctum hoc opus obsignate (a). Quanta verò, amabo, hac gloria coram Domino erit olim, si Ecclesiam vestram pietate ita adificaveritis Dominoque restitueritis olim illos, quos vobis tradidit (b)! Mirum est, quod inde expectare vobis licet, præmium, excellentissima beatitudo, quam ut adipiscamini, quā ut coronemini, faxit Dominus, cuius amplissima charismata gratiamque pleniorē ad Spartam hanc maxime exor- uandam vobis calidissimis votis apprecamur.

Ἐπίμελον

de confirmatione Ecclesia Anglicana.

Qui in prodromo tractationis synopticae de confirmatione catechumenorum p. 46. 47. promisimus, nos de confirmatione in Ecclesiâ Anglicanâ usitatâ hîc latius acturos esse, pollicita jam exsequimur. Quicunque verò indolem confirmationis Anglicanæ nosse voluerit; is opus est, ut evolvat Liturgiam Anglicanam sive librum precum communium *the book of common prayers*, qui Anglice vocatur. Non verò eum hîc intelligimus, qui sub Henrico VIII. A. 1543. prodiit, nec eum, qui sub Eduardo VI. A. 1548. fuit editus, sed illum, qui sub Elisabethâ A. 1559. fuit compositus atque à Parlamento confirmatus, itemque à Carolo II. A. 1662. denuò in Ecclesiâ Anglicanam inventus. Unde nolim, ut lector jam il-

lam

(a) Formulam ejusmodi confirmationis ascetice prævimus in dem Herzens - Catechismo sub initium & finem nulla præscribendo verba sed modum saltem dictiōnis ascetice, & quā ea inflecti amer, paulisper ostendendo. Ceterū eum serè in modum Hagæ Comitis ante plures annos Catechumenos suos solenniter confirmantem non sine ædificatione magnâ audivimus Theologum hodie Hanoviensem præstantissimum, JO, GERHARDUM MÆUSCHENIUM.

(b) Jef, VIII, 18.

Iam Eduardi VI. editionem consulat, quæ & Londini A. 1717.
 denuò prodiit. Nostra, quam volumus, latinè sèpius fuit edi-
 ta. Vidimus editionem Londini 1670. latinè cusam. Nuper
 demùm ibidem A. 1720. tertia vice ea ipsa prodiit. Græcè
 eam dedit ELIAS PETILIUS A. 1638. Gallicè edita est A.
 1626. codem loco & prodiit quoque in cādem lingua nuper
 Londini A. 1719. 8. sub titulo : *La Liturgie de l'Eglise Ang-
 licane*, curante JACOBO ABBADIE. Germanicam editionem
 Francofurti ad Viadrum A. 1704. 8. dedit vir celeberrimus
 DANIEL ERNESTUS JABLONSKY. Titulus est : *Die Eng-
 lische Liturgie oder das allgemeine Gebeth - Buch, wie auch die
 Handlung der Heiligen Sacramenten und anderer Kirchen - Cere-
 monien samt denen 39. Glaubens - Articuln der Englischen Kirchen.*
 Hic, quod confirmationem attinet, ponitur primò Catechis-
 mus, quem nosse debet confirmandus. Quæritur hic à con-
 firmando, quid sponsores ipsius promiserint, cùm baptizare-
 tur. Respondet iste, eos promississe tria, 1. abrenunciationem
 Satanæ & mundi, 2. fidem Christianam in symbolo Apostoli-
 co comprehensam, 3. servationem mandatorum Christi. Po-
 stea interrogatur confirmandus, num hæc ipsa præstare velit
 ille & confirmet. Quod ubi affirmat, recitare jubetur sym-
 bolum Apostolicum, quod & ipse, propositis quæstionibus,
 explicat dein brevissimis & recitat quoque Decalogum cum
 adjunctâ brevi explicatione, quæ omnia Christianismi officia
 in se complectitur, atque mox, se propriis viribus ista præ-
 stare officia non posse, sed opus se habere hic virtute Spiritus
 S. precibus à Deo impetrandâ. Quo facto & orationem Do-
 minicam recitat exponitque, atque ad quæstionem de sacra-
 mentis N. T. respondet, duo saltem esse, baptismum & S.
 Coenam. Affirmatur hic à confirmando expresse, in sacra-
 mentis esse elementum & signum externum & gratiam inter-
 nam, illud in baptismo esse aquam, hoc gratiam regenera-
 tionis,

tionis, in S. Coena panem & vinum illud esse, hoc corpus &
 sanguinem Christi, quæ à fidelibus verè accipientur ad confirmationem animæ, nullum verò ad hoc sacramentum esse admittendum nisi, qui poenitentiam egerit & cui novæ obedientia certum sit propositum. Catechismo finito, injungitur Pastoribus, ut magnâ cum assiduitate quovis die Dominico & festo instituant catechisationes, &, ubi catechumeni ad maturum iudicium pervenerint & in omnibus Christianæ fidei capitibus ritè instructi & probè præparati fuerint, eos deducant ad Episcopum, hic ut eos denuò tentet videatque, num confirmari solemniter, num ad S. Coenam admitti possint. Jam, quando Episcopus dignos iudicat catechumenos, qui confirmentur, certus confirmationi dies destinatur, & præsentibus confirmandis eorumque sponsoribus vel ipse Episcopus vel Presbyter, cui negotium illud tradiderit ille, Ecclesiam congregatam alloquitur deque re præsenti informat. Mox Episcopus ad confirmando sermonem flecit eosque interrogat, num jam servare velint ea, quæ, cum baptizarentur, sponsores eorum olim promiserint. Ubi quæsitum sonorâ voce affirmant, Episcopus ita insit: *Auxilium nostrum est in nomine Domini.* Respondet cœtus, *Qui fecit cælum & terram.* Ep. *Nomen Domini laudatum sit & benedictum.* Cœtus. *Inde ab hoc tempore usque in aeternitatem.* Episc. *Domine, exaudi preces nostras.* Cœtus. *ut nostra petitio veniat ad te.* Hac enim Ecclesia Anglicana consuetudo est, ejusmodi antiphonas in cœtu antiquum ritum formare. Postea orationem Episcopus fundit super catechumenos Deumque, qui eosdem per aquam & Spiritum S. regeneraverit ipsisque peccata remiserit, orat, ut ipsos confortet Spiritu suo sancto & augeat in ipsis charisma sapientiæ & fidei eosque impleat timore suo. Oratione finita in genua procumbunt confirmandi singulisque imponit manus, additâ hâc precatione: *Domine,*

mine, Deus noster, conserva hunc servum tuum in gratiâ cælesti, ut tuus constanter & in eternum sit, & ange in illo magis magisque Spiritum tuum sanctum, ut perducatur ad eternum regnum tuum. Amen. Dein ad populum Episcopus ait: *Dominus vobiscum.* Respondet cœtus: *Et cum spiritu suo.* Recitat postea orationem Dominicam denuðque orat super confirmatos totamque Ecclesiam & benedictione cœtui datâ totum actum finit. Nemo & admittitur ad S. cœnam nisi qui confirmatus vel ad confirmationem proximè accipiendam paratus sit. Hactenùs Liturgia illa Anglicana. Jam autem ex hac pleniore rerum recensione pater, verum esse, quod in prodromo nostro p. 47. 49. diximus, nullum hic esse christma Pontificium, nullus ritus supersticiosus, egregia omnia, imò mirum & esse, quod Presbyteriani in Angliâ confirmationis quoque ritui, qui in Ecclesiâ Anglicanâ usitatus sit, tam infensi sint. Ast non condemnandi sunt Presbyteriani inauditi, sed videndum, quid confirmationi Anglicanæ opponant. Mentem eorum, ea, exprimat JAC. PEIRCIUS *, qui vindicias fratum dissentientium in Angliâ adversus V. C. Gulielmi Nicholsi defen-

* Exstitit hic Minister Ecclesiæ Presbyterianaæ Exoniensis magnamque sibi famam conciliavit, tūm quòd contra Nicholsum nomine torius Ecclesia Presbyterianaæ scriptis, tūm quòd contra *Andream Snape,* Theologum Anglicanum, (qui ob sermonem seditiosum nuper habitum jam pœnas exspectat, & idem ille est, qui Anno 1706. ab Academiâ Cantabrigiensi ad Jubilæum Francosurtanum missus fuit & ad quem celeb. vir. Jo. Fabricius olim Epistolam dedit ediditque ad falsas relationes & imputationes depellendas.) scriptis *the dissenters reasons for not writing in the behalf of persecution* London 1718. 8. tūm quòd ob Arianismum defensum ante aliquor annos officio motus est à suis, qui tanti eum antea fecerant. Vide an authentick account of several things done and agreed by the dissenting Ministers lately assembled at Salter's Hall. London 1719. 12. & the western inquisition ex

defensionem Ecclesiae Anglicane ** scripsit. Sunt autem hæc,
quæ is P. 3. C. 7. p. 335. sqq. monet. I. Superstitiosum hoc
esse, quod impositioni manuum in confirmatione virtus spi-
ritualis adscribatur. Ita enim orare Episcopum: *Supplices te
rogamus pro his famulis tuis, quibus sanctorum tuorum Aposto-
lorum more manus nostras imposuimus, ut hoc signo certiores
fiant de tuo favore, clementia & bonitate erga ipsos.* II. Su-
perstitiosum porrò & hoc esse, quod confirmationem Theo-
logi Anglicani referant inter *sacramentalia*. III. Falsum hoc
esse, quod antiqua Ecclesia eam confirmationem habuerit,
qua jam in Ecclesiâ Anglicanâ obtinet. Olim enim confir-
mationem mox adhæsere baptismo, in Ecclesiâ vero Anglicanâ
plurimorum annorum intervallo ab eodem eam sejunctam esse.
IV. Patres antiquissimos, qui confirmationis mentionem fa-
ciant & ad quos provocent Anglicani, plurimum hic hallu-
cinari, tūm quando baptismo derogant collationem Spiritus
S. tūm quando impositioni manuum arrogant ejusdem datio-
nem, id quod facient Tertullianus & Cyprianus. V. Perpe-
ram & Anglicanos provocare hic ad Act. VIII. & XIX. cū
ibi non de ordinariā quādam baptizatorum confirmatione sed
de extraordinariorum & miraculosorum *χαρισμάτων* collatio-
ne per impositionem manuum factā sit sermo, nec enim ma-
nus omnibus Samaritanis tūm fuisse imposita, quia omnes
donum miraculorum non acceperint, nec ordinaria faltem
charismata hic collata esse, quia Simon Magus alias ista pre-
tio oblato haud expetitus fuisset, nec Episcopos Anglicanos

eos

a relation of the controversy, which has been lately among the Dis-
sidents in the west of England. by James Peirce. London. 1720. 8.

Add. Bibl. Angloise T. 6. P. 1. p. 89. notā (a)

** Londini 1710. 8. Prodiit postea eaque auctior editio sed An-
glicana ab ipso Authore facta sub titulo: *a vindication of the dis-
sidents; in answer to Dr. William Nichols defence of the doctrine*

quoque esse, qui Spiritum S. largiri suâ *χειροθεσίᾳ* possint, nec
Hebr. VI. 2. de confirmatione sed de ordinatione agere.
VI. mirum esse, quod Nicholai statuat, ritum confirmationis
jam ante Tertullianum fuisse memoratum ab Irenaeo & me-
moratum etiam postea Theophilo Antiocheno. VII. Et hoc
quoque superstitionem olere, quod *soli* Episcopo arrogant
Anglicani jus confirmandi idque ex sacris Scripturis, videlicet
ex Act. VIII. probare conentur, ubi Philippo baptizandi quidem
concessa fuerit sed non ita confirmandi potestas, quâ posteriorē
solâ fullerint & gavisi fuerint Apostoli. VIII. Denique & hoc
malè se habere, quod confirmationi quædam necessitatis notio
fuerit adspersa. Scilicet Eunuchum fuisse à Philippo baptizat-
um, sed non legi eundem ab Apostolis confirmatum, immò multos
alios legi baptizatos, sed non confirmatos. Addit tamen vel
tandem PEIRCIUS hoc epiphonema: *Ritum ipsum in se spe-
ciatum nequaquam aversamur, immò in Ecclesiâ utilem reddi
posse putamus.* Et hæc est mens PEIRCII, quam in compendium
redegimus, ita quidem, ut abusus confirmationis, quos Eccle-
siæ Anglicanæ objicit, siccò pede (hi enim rem ipsam suspen-
sionem reddere nesciunt,) præterierimus. Digna hæc sunt, ut
arbitror, quæ examinentur, & eò quidem magis, quod to-
tum de confirmatione argumentum reddere illustrius possunt
& lucem assundere illi. Quod primum attinet, non est, quod
ad vivum ista verba resecentur. Neque enim huic *signo*, huic
impositioni manuum virtus tribuitur spiritualis, sed eo ipso,
quod *signum* illa saltem nuncupatur, non est, quod istam co-
gitationem in animum labi patiamur. Certè enim impositio
manuum *signum* est gratiæ, quæ confertur. *Quis dubitet?*

F

Et

*and Discipline of the Church of England, in three parts, written
first in latin and now translated into English with large additions;
by James Poite. London 1718. 8.*

Et, licet Petrus Heylinus in Cypriano Anglico, quem Peircius citat, hoc est, in historiâ vitæ & mortis GUIL. LAUDI Anglicè scriptâ f. 9. 10. confirmationem inter sacramentalia referat, tamen, si æqui esse velimus, hæc vox haud premenda nimis est, sed generalissimo in significatu accipienda, etsi cautius sit, eâ, utpote æquivocâ, nunquam uti (*). Uno verbo, ipsi Theologi Anglicani impositionem manuum meram esse cærimoniam externam existimant, quæ, si cum precibus conjuncta sit & Episcopi & Ecclesiæ, supposito subiecto habili, conjunctam habeat gratiam Spiritus S. Vide illustrissimi Archiepiscopi Cantuariensis GUL. WAKII the principles of the Christian Religion explained P. 6. sect. 52. qu. 6. Quod porrò dicitur, confirmationem veteris Ecclesiæ appendicem fuisse baptismi, id rectè quidem se haber. (**). Ait id apud adul-

tos

(*) Et sane ipsi Theologi Anglicani confirmationem Pontificiam respununt, uti in prodromo jam p. 49. indigitavimus, perinde uti Apologia Augustana Confessionis C. 7. p. 201.

(**) Qui hanc quæstionem, *num confirmatione antiquæ Ecclesiæ saltuero feretur appendix baptiſmi, vel ritus à baptiſmo separatus?* penitus excusam legere contendenter, is ea, quæ inter DALLÆUM & HAMMONDUM olim disputata fuere, quæ & in prodromo nostro p. 35. 36. allegavimus, cum fructu evolvet. Hæc enim inter viros illos præcipua fuit controversia. Ubi hoc adhuc addere convenit 1. Commentario illi eruditissimo, quem HAMMONDUS de confirmatione scripsit, H. Sarisburensem egregiam prefationem præfixisse, ubi ait, Hammondum inter eos, qui confirmationis utilitatem summan agnoverint, post ERASMUM, CASSANDRUM & CHEMNI-THIUM recensere quoque potuisse CALVINUM & BEZAM. Scilicet CASSANDER in consultatione p. 63. 64. haud malè ostendit, quæ confirmatione apud Protestantes retinerti poslit, art. 9. ad quem & conferri possunt, quæ scripsit GROTIUS in annotatis ad consultationem Cassandri p. 69. 70. & RIVETUS in annotata Grotii p. 73. qui & ipse confirmationem istam sic purificatam approbat. Ipse vero

tos saltem valere, non verò ad Pædobaptismum quadrare, res ipsa monet, ubi credo, haud malè divelli confirmationem à baptismo, hoc fine, ut fœdus & sacramentum baptismale adul-tis in memoriam revocetur. Nec, Pædobaptismum in veteri Ecclesiâ cum confirmatione ista chirotheticâ mox conjunctum fuisse, Presbyterianorum quis unquam probaverit. Cæterū antiquos Patres impositioni manuum nimis subinde tribuere egomet sanè haud negaverim. Patet id vel ex iis, quæ Tertullianus, quæ Cyprianus de confirmatione memorant. Sed cautor hic, uti jam vidimus, Ecclesia Anglicana est. Ubi verò ad Act. VIII. & XIX. provocant Theologi Anglicani, ite-
rum existimaverim, cum grano solis rem esse capiendam. Certum est, ab Apostolis tūm extraordinaria Spiritus S. dona fuisse collata, quæ hodie nemo mortalium confert. Itaque, si ad ista loca provocaverit, qui confirmationem inde derivat, analogiam saltem quandam inde format ille, qualem sub ini-
tium dissertationis hujus nostræ indigitavimus. Certè enim

F 2

im-

GROTIUS & alibi, tūm in viâ ad pacem p. 291. tūm in disserta-tione, an semper communicandum sit per symbola? p. 22. editionis Dodwelliana confirmationem laudat, CALVINUS verò non so-lum in instit. & ad Hebr. VI. 2. confirmationi calculum suum adjicit sed & intra statu de Christianæ pacificationis & Ecclesiæ reformatio-natione, (quem sine nomine editum CALVINI est) GROTIUS ait apud Placcium de anonymis f. 145. n. 815.) C. 12. p. 55. sqq. edi-tionis à Riveto data datâ operâ & prolixè satis de confirmatione agit. Denique THEOD. BEZA ad Hebr. VI. 2. eandem tibiam inflat. Jam & hoc 2. notamus, HAMMONDUM in præf. ad comment. suum de confirmatione §. 8. f. 858. Opp. T. 4. existimat, confir-mationem per σφραγίδα illam, quæ 2. Tim. II. 9. memoretur & Gnosticorum πανοπλίας sit opposita, indigitar. Idem HAM-MONDUS C. 2. lœct. 2. f. 868. explicat, quid Ecclesia Anglicana sub Henrico VIII. de confirmatione senserit, atque in libro isto con-
firmationem Anglicanam latius contra DALLÆUM evchit.


impositio manuum Apostolica, quæ miraculorum *χάρισμα* contulit baptizatis, ab hodiernâ *χειροθεσίᾳ* confirmatoria diversissima est quoad tertium istud, quod est miraculorum collatio, ast hujus tamen congruentiam suadet convenientiamque ostendit, quod per hanc baptizati sic confirmantur in gratiâ jam acceptâ & sic magis magisque ad servandum illius depositum excitantur. Ceterum, quæ ex Irenæo & Theophilo Antiocheno allegantur testimonia, nolim & egomet urgere nimium. Rem prolixius diducemus, ubi de Ecclesiæ Græcæ antiquioris confirmatione, ubi & de hæreticorum antiquorum confirmatione datâ operâ differere nobis continget. Denique, quod soli Episcopo confirmationis negotium tribuit Ecclesia Anglicana, libertatis Ecclesiasticæ res (***) est, eò magis hîc approbanda, quod & in veteri Ecclesiâ ordinariè Episcopis solis provincia ista fuit demandata. Sic &, ut arbitror, eò melius prospicitur rebus, ne confirmentur indigni. Nec sunt ita arbitror, qui absolutam confirmationis Episcopalis necessitatem apud Anglos statuant, cùm inter ritus ecclesiasticos illi eam saltem, ut jam diximus, referant. Unde mirum sanè est, Presbyterianos & hunc ob ritum, egregium sanè, Ecclesiæ Anglicanæ infensos esse. Quantò præstantius & genio Christianismi, qui pacem ecclesiasticam suadet, convenientius hoc foret, ritum ab Ecclesiâ Anglicanâ semel adoptatum eo, quo hîc opus est, ardore spirituali sanctificare eumque Ecclesiæ utilem reddere, quam ob res indifferentes, ob cærimonias, ob ritus continuare schisma, quod Ecclesiam vastat! Vellemus jam addere rationes DAV. CALDERWOODI, quem jam in prodromo allegavimus, nisi objectiones, quas format, cædem essent. Qui de confirmatione Anglicanâ penitus cuperit

(***) Licet hinc, confirmationis ritum etiam noviter introducere. Hæc enim libertas Ecclesiæ competit, ut rectè docetur in Formulâ concordia C. 10. p. 79.

pit informari, eum legere haud pigebit ea, quæ de hoc argu-
 mento Reverendissimus Archiepiscopus Cantuariensis dis-
 rit. Is enim in libro citato, cuius Germanica versio nunc
 Basileæ cuditur, P. 6. sect. 52. de Confirmatione datâ operâ
 agit. Hanc dicit esse repetitionem foederis baptismalis cum
 benedictione Episcopali & impositione manuum conjunctam.
 Et hujus quidem ritûs præstantiam probat ex exemplo Apo-
 stolorum, qui baptizatis imposuerint manus, si enim Apostoli
 baptizatis imposuere manus, quidni id & nobis liceat? ex rei
 ipsius convenientia, quidni enim liceat, super catechumenos
 precari iisdemque manus imponere, etiamsi nullum quoque
 exemplum Apostolorum prævisset? ex egregiâ ædificatione,
 quæ inde in confirmatos transit, quidni enim preces confir-
 mantis Episcopi effectum spiritualem secum vehant Matth.
 XVIII. 19. Luc. XI. 9. denique ex egregio illo, qui in to-
 tam Ecclesiæ ex confirmatione redundat, emolumento spiri-
 tuali. Totus enim cœtus sic excitatur mirificè, ipse confir-
 mans & qui confirmantur & Sponsores & præsentes qui-
 que, qui in communionem precum sic descendunt. Digna
 sunt, quæ illustrissimus iste Præsul hanc in rem sribit, quæ
 legantur. Cæterum est & ex Anglis JOSEPHUS BINGHA-
 MUS, vir eruditissimus, qui in Originibus Ecclesiasticis sive
 in the antiquities of the Christian Church L. 12. argumentum
 hoc de confirmatione veterum tractavit prolixissimè. Sed
 hoc quidem jam hujus loci non est. De confirmatione verò
 Anglicanâ longè plura differere possemus hic, nisi limites
 ἐπιμελεῖς, quod brevissimum ut sit, ratio postulat, sic jam
 migravissimus. Solus iste prodromus noster, uti
 facile videbit lector, plura
 suppeditat.

Jb 45/7

X 2284234



Q. D. B. V.

DISSSERTATIONEM HANC THEOLOGICAM
DE

CONFIRMATIONE CATECHUMENORUM

*IN ECCLESIS AUGUSTANÆ
CONFESSI^NIS*

u&statâ

ITEMQUE DE

CONFIRMATIONE ANGLICANA P R A E S I D E CHRISTOPH. MATTHÆO PFAFFIO,

Doctore & Professore Theologo atque Cancellario
in Aulâ novâ

D E F E N D E N T

M. GEORG JSRAEL PRÆMER, *Thermiferinus.*
M. JOHAN. PHIL. HASENMAYER, *Heimsheimensis.*
M. JOHANNES ROMINGER, *Ebingensis.*

T U B I N G A
imprimebat JOSEPHUS SIGMUNDUS

A. M DCC XXIII.

n.

20.10.189.